



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 100. Henricus IV. Galliarum Rex a quodam Sicario interfectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. phali revehendam Parisiis exhibere cogitabat, multis magnisque interea impendiis ad pompam illam factis.

§. C.

Henricus IV. Galliarum Rex a quodam Sicario interfectus.

*Rigault l. c.
Merc. Gal-
lobelg.
tom. 6. l. 3.
Perefix. Hist.
du Henr. IV.
Serres hist.
Franc.*

Dies erat decima quarta Maji Diva Bonifacio Sacra, qua Rex arcus triumphales, & potiora quoque turris ornamenta præfens inspecturus, vespere quarta diei hora curru vehere statuit, comitabantur eum Espernonius, & Montbafonius Duces, necnon Lavardius, Raquel aureus, Laforcus, Mirabellus, & Liencurtius, Duces, septem amicitiae fideique spectatæ comites, salutisque custodes. Currus vero latera, seu projecturas, ut eo commodius pompæ adornatæ prodigia contemplari posset, Rex aperiri præceperat, mandato tamen Regiæ vitæ prorsus ferali, & Regicidæ nimium opportuno. Insuper sibi quoque læva fors tulerat, ut Rex satellites suos equis vectos domum redire juberet, relictis duntaxat pedissequis currum stipantibus: Agebat jussu Regis Auriga currum per plateam *Ferronariam*, quæ pone Templum *Innocentianum* per angusto patebat procursum, unde accidit, ut, cum duo grandia plaustra sese

sese exadversum objicerent, ac impli-
 citis jam propemodum & tricantibus
 inter se non curribus modo sed & equis
 certarent, Regius Auriga suos sistere co-
 geretur, donec extricarentur, & pro-
 gressus aperiretur. Famuli quoque,
 exceptis duobus, ut eo expeditius transi-
 rent, in cæmeterii semitam abscesserant,
 per ejus exitum ad Regis currum re-
 versuri. Hæc omnia præsens tunc con-
 siderans Ravillacus, occasionemque
 ferendi quam aptissimam ratus, a ne-
 mine observatus inter ferrarias taber-
 nas, & currum Regium irrumpit, ac
 pede in ligneum rotæ radium insiliens
 rabioso impetu cultrum in pectus Regis
 sinistrum alta plaga defigit: protinus
 exclamante Rege: *vulnus accepi*. Sica-
 rius repetito inter ipsas has voces ictu
 cor medium transverberat, Regemque
 nec plusquam semel ingemiscentem ex-
 tinquit, tentato etiam tertio ictu, quo
 tamen nonnisi Mombasonii manicam
 impune trajecerat, ipse vero nec pro-
 fugii curam, nec patratæ cædis dissi-
 mulationem, nec supplicii formidinem
 præseferbat, sed ceu præclare gestæ
 rei auctor ad rhædam restitabat, do-
 nec captus abstraheretur. Ceterum
 Regis exanime corpus ab Espernonio
 Duce mox in Regiam revectum, a Me-
 dicis chirurgisque numero viginti sex
 li 5 inspe-

Sæc. XVII.
 A. C. 1610.

Sæc. XVII. inspectum est, quod die vigesima nona
 A. C. 1610. Junii ad oppidum Sancti Dionysii trans-
 latum in Majorum sepulcro recondeba-
 tur, corde ejus ad Societatis Colle-
 gium Flexiense translato.

§. CI.

*De Henrici Regis vita, & vir-
 tutibus.*

*Abrege de
 l'hist. Eccles.
 tom. 10.
 art. 3.
 Calmet hist.
 Univers.
 lib. 151.
 Daniel hist.
 de France
 tom. 10.*

Erat Henricus inter nominis hujus Gal-
 liarum Reges Quartus, quinquage-
 simo tertio prioris sæculi anno natus
 a Calvini Sæctatrice Matre sua Joanna
 Albretana Calvinianos inter errores,
 quos postea ejurabat, educatus: Ade-
 leverat inter adversæ & prosperæ for-
 tunæ vicissitudines, interque civiles tu-
 multus, quibus tenentibus stupenda
 prorsus bellica fortitudine sese in me-
 diam hostium aciem centies & quadra-
 gesies dux idem & miles, nec aliena
 sed propria sua lauream decerpens ma-
 nu, immiserat, trecenta oppida ob-
 sidione cinxerat, nunquam ab armis,
 per annos tres & triginta discesserat, quin
 ex hac bellandi consuetudine animi fe-
 rociam contraheret, sed potius pri-
 mævo naturæ beneficio inditam auge-
 ret clementiam, qua omnes suos sub-
 ditos velut Pater, universum vero Re-
 gnum tanquam Paterfamilias com-
 plecte.